



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CXLIII. Friedensschluß des Königs Ottokar von Böhmen mit dem Könige
Stephan von Ungarn, worin der Markgraf Otto von Brandenburg nebst
Johann's Söhnen mit eingeschlossen wird und als Bedingung ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

Insuper et anguillarum capturam, que est in exitu aquarum stagni, quod dicitur Tolense, quam de vno littore ad aliud, ad usus suos disponendam, a primo plantacione ipsius ciuitatis predicta ecclesia cum omni iure libere possedit, fratribus predictae ecclesie contulimus omni procul impedimento iure perpetuo possidendam. Ad amplius quoque commodum predictorum fratrum ex nostra est plenaria uoluntate, quod molendinum in Brode in eorum curia construatur, quod ex habundantia stagni, quod Tolense et Stargarde nuncupatur, habeat necessarias sibi aquas.

Ut autem hec omnia supra dicta per nos atque succedentes nobis heredes nostros in perpetuum inuiolabiliter obseruentur, presentem paginam inde conscriptam sigillorum nostrorum apensionibus fecimus roborari. Huius rei testes sunt nostri milites et uasalli: Henricus de Wudensuege, Henricus de Heidenbrake, Rodolfus Mvnt, Henricus Dargaz et dominus Arnoldus plebanus de Woldegge et alii quam plurimi fide digni. Actum et datum in castro Stargarde, anno domini M^oC^oC^oL^oX^oX^oII^o, idus Julii VI^oI^o.

Nach Lisch, Meckl. Jahrbücher III, 214, die erste Ausfertigung aus dem Originale im Groß. Archive zu Schwerin.

CXLIII. Friedensschluß des Königs Ottokar von Böhmen mit dem Könige Stephan von Ungarn, worin der Markgraf Otto von Brandenburg nebst Johann's Söhnen mit eingeschlossen wird und als Bedingung festgestellt ist, daß der Markgraf dem Böhmischem Könige keinen Beistand leiste, falls dieser den Vertrag in irgend einem Punkte verletzen sollte, vom 14. Juli 1271.

Ottogarus, Dei gratia Rex Bohemiae, Dux Austriae, Styriae, Carinthiae, Marchioque Moraviae, Dominus Carniolae, Marchiae, Aegrae et portus Naonis; uniuersis praesentium notitiam habituris, salutem in salutis auctore etc. Noverint uniuersi, quod post longa guerrarum discrimina, quae inter Dominum Stephanum, Regem Ungariae Illustrem, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae et Bulgariae, Ducem totius Sclavoniae, charissimum cognatum nostrum ex una parte; et Nos ex altera suscitata fuerant, suggerente humani generis inimico: cum nos pro uotivae pacis puritate reformatanda dilectos fideles nostros Dominos Brunonem Venerabilem Episcopum Olomucensem, fratrem Hartpinum ministrum Ordinis Fratrum minorum per Austriam, Hartlibum Camerarium, Buhulchonem Marchaleum, Noezan, Izlonem, Pincernam Moraviae, Barones Regni nostri, misissemus, dato eidem pleno, sufficienti et legali mandato, ut convenientes cum praelatis et Baronibus Regni Ungariae, Domino Paulo, venerabili Episcopo Vesprimiensi, Aegidio summo Camerario, Rolando, Bano et Magistro Benedicto Praeposito Oradiensi, Vice-Cancellario, a praedicto Rege Ungariae similiter cum pleno mandato destinatis, tractare, ordinare et diffinire possent omnia ad reformationem pacis facientia, quae nos ipsi, si praesentialiter cum ipso Rege Ungariae conuissimus, ordinare et diffinire possemus, pro nostri quiete animi, et nostrorum tranquillitate subditorum. Idem Barones nostri, considerantes cum praedictis Baronibus Ungariae, ordinaverunt et assumerunt juxta mandati traditi sibi

formam, ut de caetero perpetua pax inter Regem Ungariae ac Nos debeat observari; nec eidem Regi vel suis turbationes vel molestias inferremus, vel inferri per nostros pateremur: includentes eidem paci, et eadem volentes, Regnum nostrum Bohemiae, terrasque nostras, Austriam, Styriam, Carinthiam, Moraviam, Carnioliam, Marchiam, Aegram et portum Naonis cum omnibus attinentiis eorundem, secundum signa, distinctiones et metas antiquas, prout etiam progenitores nostri Reges Bohemiae et Marchiones Moraviae; nec non antecessores nostri Duces Austriae, Styriae et Carinthiae, Domini Carniolae, Marchiae, Aegrae, ac portus Naonis usque tempus vitae Domini Belae inclytae recordationis, patris dicti Domini Stephani Regis Ungariae, possederunt et tenuerunt. Verum si termini hinc inde fuissent avulsi, vel mutati, venerabiles patres Dominus Archiepiscopus Strigoniensis et Episcopus Olomucensis, Deum et iustitiam habentes prae oculis, super ipsis terminis et limitibus cognoscent: et id, quod legitime definiaverint, per censuram Ecclesiasticam partes faciant observare; hoc adjecto, ut occasione terminorum, seu limitum, de quibus dicti Archiepiscopus et Episcopus cognoscent, pacis puritas inter Regem Ungariae et nos non turbabitur; nec nos cum eodem Rege relabemur in guerrarum discrimina recidiva. Pace igitur huiusmodi inter ipsum Regem et Nos reformata, et cautionibus tam literarum autenticarum quam juris iurandi religione firmata, ut eadem robore subsistere valeat firmiori, infra terminum inter illustrem Regem Ungariae et Nos statuendum seu moderandum pro pacis multiplici firmitate eidem Regi Ungariae dari procurabimus, et faciemus literas magnificorum virorum Domini Henrici Misnenensis, et Domini Othonis Brandeburgensis, inclytorum Marchionum, cognatorum et amicorum nostrorum, praesenti paci ex parte nostra inclusorum: super eo quod iidem paci, conventioni, seu compositioni nunc factis per Nos et Barones adhibebunt consensum, conniventiam et opitulationem commodam, inviolabiliter observandis, eo expressum cauto tam in literis Marchionis Henrici Misnenensis, quam Domini Othonis, Marchionis Brandeburgensis, praedictorum; ut si nos pacem contingat, quod absit, infringere, vel turbare, ex tunc iidem Marchiones nobis non assistent auxilio, consilio vel favore, sed se a nobis penitus separabunt, Rex autem Ungariae sub eadem seu consimili forma nobis dari faciet literas magnifici Domini Caroli Illustris Regis Siciliae, Ducatus Apuliae, Principatus Capuae et Comitatus Fulcalquerii; nec non literas Domini Henrici inclyti Ducis Bavariae, et amicorum suorum sub ea forma; ut si Rex Ungariae aliquid contra pacem fecerit vel attentarit, violando seu infringendo eandem, ex tunc iidem Rex et Dux a societate et amicitia Regis Ungariae se penitus retrahentes eidem contra nos non impertientur consilium, auxilium, et favorem; et hoc expressum continebitur in eorundem Regis et Ducis patentibus literis, sigillis eorum authenticis pendentibus consignatis, quae ut dictum est, infra terminum per Dominum Regem Ungariae et nos moderandum nobis debent similiter assignari.

Promittimus et assumimus, ut si aliqua temporum proecessibus successivis contingeret suboriri hinc inde, quae turbare possent pacis et concordiae unionem, pace eadem nunc facta in suo robore permanente; super gravioribus, quae ex parte omnium nostrorum contra homines Reges Ungariae attentata fuerint sive facta, Episcopus Olomucensis tam ex ordinaria iurisdictione, quam ex ipsius Iurisdictionis in eos, qui eidem Episcopo subiecti non sunt, pro-

rogatione nunc facta, cognoscet, et quae judiciaria maturitate servata, invenerit perperam attentata seu facta in praejudicium Regis Ungariae et hominum suorum, prolata definitiva sententia reformabit; postquam de causae meritis cognoverit, ut est Juris: et quod definiverit, per Censuram Ecclesiasticam faciet observari, cum ipsius Regis Ungariae et nostri Barones ordinaverint juxta traditam sibi formam; et ipse Rex Ungariae ac Nos assumpserimus, approbaverimus et emologaverimus praemissa omnia et singula spontanea voluntate.

Si vero aliqua graviora per homines Regis Ungariae vel Barones ejusdem attentata fuerint sive facta, per quae nobis et hominibus Regni terrarumque nostrarum posset praejudicium generari: super iis venerabilis Pater Dominus Philippus Strigoniensis Archiepiscopus extraordinaria Jurisdictione, quam omnes Barones et homines Regni Ungariae in se prorogaverunt, cognoscet juxta formam articuli proxime expressi; et quod dissiniverit, executioni mandabit, contradictores per Censuram Ecclesiasticam districtus compescendo. Et in hujusmodi cognitionibus causarum procedent iidem Archiepiscopus et Episcopus, Deum et Justitiam habentes prae oculis; postpositis gratia, timore, odio et favore. Iidem quoque Archiepiscopus et Episcopus in Personam Regis Ungariae, atque nostram singuli singillatim promulgandi excommunicationis sententiam plenam habeant facultatem: cum ipse et nos in praemissis subjecerimus personas nostras jurisdictionibus eorundem. In minoribus vero causis, quae hinc inde inter ipsius Regis, et nostros homines emerferint circa confinia Moraviae; duo ex parte ipsius Regis Ungariae videlicet Comes Pofoniensis et Comes Nitriensis, ex parte nostra Camerarius Moraviae, et Purchravius de Brumove; circa confinia Austriae ex parte Regis Ungariae Comites Soproniensis et Mulsniensis, ex parte nostra Castellanus de Haselovue et Castellanus novae Civitatis iudices provinciales; circa confinia Styriae, ex parte Regis Ungariae, Comites Castriferri et de Zala, ex parte nostra Capitaneus et Notarius Styriae; circa confinia Carinthiae, Carniolae, Marchiae, ex parte Regis Ungariae Banus totius Sclavoniae, ex parte nostra Capitaneus Carinthiae et Carniolae deputabuntur: qui querelantibus hinc inde justitiae facient complementum: et id fecerint, tam ipsius Regis Ungariae quam nostra auctoritate facient observari. Quod si aliqui ex ipsis fuerint defuncti, successores ipsorum dignitatis, haereditarii vel per alterutrum Regum substituti, fungentur vice et partibus eorundem. Item si inter amicos Regis Ungariae et nostros aliqua fuerit discordia suscitata pro causa hujusmodi contra pacem promittimus non venire; sed discordantes studebimus, si poterimus, ad pacem et concordiam revocare; alioquin causa inter ipsos discordantes exorta Archiepiscoporum et Episcoporum iudicio vel ordinationi relinquetur: quam ipsi recipient, et eidem parebunt seu stabunt. Quod si Amici nostri haec renuerint adimplere, nullum consilium ex auxilium eisdem impendimus contra Regem Ungariae supradictum. Si vero, quod absit, Rex Ungariae, pacis violator ex quavis causa, propria vel amicorum suorum ac hominum Regni sui, inventus fuerit vel turbator; ipso facto incidat in sententiam excommunicationis, quam ex nunc venerabiles patres Archiepiscopi Strigoniensis et Colocensis, eorumque Suffraganei Episcopi Ungariae tulerint in scriptis solemniter: et quod eadem sententia teneat et astringat violatorem pacis et concordiae, cum effectu ipse Rex Ungariae subjecit se iurisdictioni ipsorum Archiepiscoporum et Episcoporum, non obstantibus aliquibus literis, indulgen-

tiis, seu privilegiis a sede Apostolica impetratis, vel in posterum impetrandis. Praeterea, ut multiplicatus funiculus pacem faciat plenior, venerabiles patres electus Salzeburgensis, Pataviensis, Frisingensis, Ratisbonensis, Pragensis, Olomucensis et Secovviensis Episcopi Regni terrarumque nostrarum juraverunt, quantum in eis est, pacem praesentem inter ipsum Regem et nos ordinatam tenere ac servare; et nos inducere juxta promissionis a se factae formam, ad eandem mutuo observandam, et tenendum ea, quae in praesentiarum promissimus et promittimus, spondimus et spondemus, sicut in ipsorum literis plenius continetur. Promiserunt etiam per idem juramentum, et promittunt, quod si nos, (quod absit), pacem infringere contingeret, vel ea, quae in praesens placitum sunt deducta, violare; iidem Salzeburgensis Electus Ecclesiae et Episcopi nominati, Regnique nostri Barones nos deserent, Et Regi Hungariae adhaerebunt ex debito praestiti juramenti. Verum si Regem Hungariae pacem, vel ea, quae in placitum devenerunt, infringere contigerit vel turbare, Archiepiscopi et Episcopi Regni sui et Barones ac Comites iidem juxta formam praesentis compositionis et ordinationis eum deserent et nobis adhaerebunt similiter ex debito praestiti juramenti, sicut in ipsorum patentibus literis continetur. Item Electus Salzeburgensis, et venerabiles Patres Pataviensis, Frisingensis, Ratisponensis, Pragensis, Olomucensis, Secowensis Episcopi de nostra et Baronum nostrorum voluntate ex nunc sententiam excommunicationis promulgarunt, quam si nos, quod absit, pacem transgredi contigerit, ipso facto incurremus, et nihilominus iidem Electus et Episcopi totum Regnum, terraque nostras Ecclesiastico subjicient in suis Dioecesibus interdicto; non obstantibus Literis seu Indulgentiis impetratis vel in posterum impetrandis. Archiepiscopus etiam Strigoniensis, qui ordinarius Regis Ungariae existit, et Archiepiscopus Colocensis ipse Cancellarius ac suffraganeus ac eorundem Praelati Regni Hungariae consimilem excommunicationis sententiam in scriptis solemniter tulerunt, quam ipse Rex Hungariae ipso facto incurret, si transgressor pacis existeret vel turbator. Et si in hac parte Archiepiscopi et Episcopi praedicti tam Regnorum Regni Hungariae, quam Regni nostri et terrarum nostrarum negligentes in exequendis praemissis extiterint vel remissi, punientur a Dominis Cardinalibus, quorum Jurisdictioni se in hac parte subjecerunt, tamquam juramenti praestiti transgressores. Insuper Dominus Stephanus Rex Ungariae renunciavit omni juri et actioni, quod et quae sibi videbuntur competere, seu etiam competebant in Ducatibus Styriae, Carinthiae et Dominiis Carniolae, Marchiae, nullam de caetero suo, vel haeredum suorum nomine contra nos et haeredes nostros super illis moturus materiam quaestionis. Renunciavit etiam Rex Stephanus Vngariae saepe dictus juri et actioni sibi et suis haeredibus competentibus de insigniis regalibus, Corona videlicet gladio, monili, sella, scutellis et aliis clenodiis, ac thesauro, delatis per Dominam Annam, socrum nostram, in Regnum Bohemiae. Item praedictae ordinationi et paci includi volumus et includimus excellentes Dominos et illustres Regem Hispaniae, Regem Angliae, Dominum Richardum Fratrem Regis Angliae electum in Imperatorem Romanorum cum filiis eorundem; venerabiles Patres Dominos Archiepiscopum Moguntinum cum suis Suffraganeis, Archiepiscopum Magdeburgensem cum suis Suffraganeis, Archiepiscopum Salzeburgensem cum suis Suffraganeis; Dominum Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, Dominum Henricum Marchionem Misenensem, Dominum Ducem Saxoniae

cum fratribus et filiis suis, Ducem Brunsvicensem et fratrem suum, Dominum Ducem Brabantiae, Dominum Ducem de Lympurch, Dominum Albertum Landgravium Turingiae, Dominum Theodoricum Marchionem de Landtsparg, Dominum Othonem, Marchionem de Brandenburgk, cum fratribus suis, charissimis avunculis nostris; Filiolis Domini Joannis Marchionis, videlicet Dominum Joannem, Marchionem Brandenburgensem cum fratribus et filiis suis, Dominum Wolezlaum Ducem Silesiae, et suum (filium) Ducem Henricum ac alios filios suos, Dominum Chunradum Ducem Silesiae cum pueris suis, Dominum Henricum filium Ducis Henrici de Wratiflawia, Dominum Jezkonem et Fratrem ejus Ducem Cuiaviae aliosque fideles, fautores et familiares nostros cum filiis omnibus, terris, regnis, ducatus, juribus, ac possessionibus eorundem. Insuper promissimus et promittimus juxta ipsorum Baronum nostrorum ordinationem, quod a Dominis Cardinalibus, vacante nunc Sede Apostolica, obtinebimus transmissis nostris nunciis confirmationem pacis nunc factae: hoc adjecto quod ipse Regis Vngariae et Nostri Nuncii circa festum S. Michaelis nunc venturum iter arripient, et in festo omnium Sanctorum proxime subsequenti se Dominorum Cardinalium conspectui praesentabunt et confirmationem nostris sumptibus et expensis obtentam faciemus ipsi Regi Vngariae assignari. Item etiam Rex per suos proprios nuncios impetrabit consimiles confirmationis literas suis expensis et sumptibus nobis dandas. Creato vero Papa confirmationem eandem sub simili vicissitudine alterutri nostrum dandam faciemus largiente Domino impetrari; damna autem illata hinc inde compensatione mutua sunt sublata juxta ordinationem saepius memoratam. Ut igitur praemissa et singula inviolabiliter observentur; nec successivorum tempore mutatione infringi valeant vel aliquantulum vacillare, juravimus, et juramus, tactis corporaliter Sacro-sanctis Evangeliiis, multorum Sanctorum Reliquiis, et vivificae crucis ligno: adjicientes ut transgressor praemissorum praeter infamiae notam, quam transgressione juramenti incurret, divinae acrimoniae sentiat ultionis, et cum Chore, Dathan et Abiron recipiat portionem, Dei omnipotentis et gloriosissimae Virginis et sanctorum omnium suffragiis destitutus. In cujus rei testimonium ad perpetuam memoriam ac munimen praesentes concessimus literas duplicis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum et actum Pragae, Anno Domini M. CCLXXI., coronationis nostrae Anno X., II. Id. Julii.

König's Reichsarchiv (Bd. VI.) Part. spec. Cont. I, Hft. 1, Fort. 1, S. 7 — 10. Würdtwein nova subf. diplom. XI, 44.

CXLIV. Herzog Mastwin von Pommern trägt den Markgrafen von Brandenburg, Johann, Otto und Konrad, Stadt, Schloß und Land Danzig zum Eigenthum an und versichert denselben, daß sie den Schutzheiligen des Ortes und den Bürgern Deutscher, Preussischer und Pommerischer Abstammung willkommen seyn würden, vermuthlich vom Jahre 1271.

Excellentibus principibus Dominis suis Johanni, O. et C., brandenburgensibus marchionibus, Mastwinus, dei gratia dux pomeranorum, vere fidei constantiam et paratum suae possibilitatis obsequium. Cum ad securitatem vite nostrae ac prosperitatem status